

tragicum, constat ex epigrammate apud Bentleium Diss. de Phalar. p. 302. ut mirer Schneiderum, virum eruditum, narrantem in praefatione ad Xenophontis Hieronem, Simonidem victoriam *tragicam* consecutum esse. Quin isto ipso anno, archonte Adimanto, Phrynicus Phoenissas docuit, quod a Plutarcho discimus, et, uti par est conjicere, Aeschylum vicit; unde error fortassis eorum, quos Vitae scriptor memorat, ortum habuit. Quod autem tradit Suidas, Simonidem tragoeidas docuisse, id nulla fide dignum, et, ut opinor, ab indocto quodam homine profectum est, qui Simonidem tragicum fuisse credidit, quia se $\chi\omega\varrho\circ\eta\delta\iota\delta\acute{\alpha}\xi\alpha\sigma\theta\alpha\iota$ affirmat; quae formula non minus de dithyrambopoeis usurpabatur quam de poetis tragicis.* Chamaeleo ap. Athen. IX. p. 374. Λ. Ἀναξανδροίδης διδάσκων ποτε διθύραμβον Ἀθήνησιν εἰσῆλθεν ἐφ' ἵππου ναὶ ἀπήγγειλέν τι τῶν ἐν τοῦ ἄσματος. Confer ipsum Simonidem LXXVI. 2. 6. xix Quare neque ob hanc caussam Aeschylus in Siciliam fugit. Superest quarta, nec tamen illa satis idonea, quam suppeditat idem Vitae auctor. Innuit enim nonnullos credidisse poetam patria se orbasse, quia quum in Eumenisin agendis Furias sparsim in scenam induxisset, infantes aliqui p[ro]ae metu exanimati sunt, et gravidae mulieres abortum fecerunt. Tradit etiam Pollux istam representationem Atheniensibus ansam praebuisse legem sanciendi, quae Chorum tragicum ad minorem numerum redigeret, quum antea ex quinquaginta constitisset. Quod si verum sit, quid dicendum erit de Scholiasta Aristophanis ad Equit. 584. qui ait tragicum chorū ex quindecim personis constare, additque, ὡς Αἰσχύλος Ἀγαμέμνονι, quae fabula eodem die quo Eumenides

* Herodot. I. 25. ναὶ διθύραμβον, πρῶτον ἀνθρώπων τῶν ἡμεῖς ἔδμεν, ποιήσαντά τε ναὶ ὄνομάσαντα διδάξαντα ἐν Κορίνθῳ.

**